





DISSERTATIO  
IN QVA DISQVIRITVR  
AN IN SAXONIA SVCCESORES FEVDALES  
SE INVITA VIDVA A PRAESTATIONE  
DOTALITHI LIBERARE POSSINT

17

1791  
15

ET  
QVAM  
PRAESIDE  
GOTTLIEB WERNSDORFFIO

PHILOS. ET IVRIVM DOCTORE, INSTIT. PROF. PVBL. ORD.  
CVRIAE PROVINCIALIS SCABINATVS ATQVE  
FACVLTATIS IVRID. ASSESSORE

D. XIV. IANVAR. MDCCCXCI.

H. L. Q. S.

DEFENDET

AVCTOR

GOTTLIEB POLYCARPVS CRANOLD

GRAEFENHAINA - SAXO.

---

VITEBERGAE

LITERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII.



DISSERTATIO

IN GRATIA

AN IN SAXONIA SUCCESSORIS FERDINANDI

SE INVITA VINDA A PARATIONE

DOTALITH LIBERARE POSSINT

ET

QUAM

PER AESSIDE

GOTTLIEB WERNSDORFFIO

PHILOSOPHIAE DOCTORE, IUSTITIAE PRAESES

CURIAE PROTOCOLARIS SECRETARIUS ADIUTUS

FACTITIAE IUSTITIAE AESSORUS

IN XIV. IANUAR. CIVITATIS ERGOT.

MDCCLXXII.

DETERMINAT

WITTE

GOTTLIEB FOLYCARVUS CRANOLD

DETERMINAT. SAXONIA

WITTE

PHILOSOPHIAE DOCTORE, IUSTITIAE PRAESES



VIRO ILLVSTRI  
IVRISCONSULTISSIMO AMPLISSIMO ATQVE  
DOCTISSIMO

CHRISTIANO GOTTHOLD  
VIEBIG

SERENISS. ELECT. SAX. A CONSILIIS COMMISSIONVM  
GENERALI ACCISARVM INSPECTORI ATQVE IVSTITIAE  
IN PRAEFECTVRIS ILEBVRGENSI ET DVBENENSI  
ADMINISTRANDAE PRAEFECTO

PATRONO ET COGNATO SVO

PIO CVLTV OBSERVANDO

HOC SPECIMEN QVALECVNQVE ACADEMICVM

D. D. D.

A V C T O R.



VIRI ILLUSTRI  
IVRISCONSULTISSIMO AMPLISSIMO ATQUE  
DOCTISSIMO

CHRISTIANO GOTTHOLD  
VIEBIG


GRÆVENSIS ELECT. SAX. A CONSILII COMMISSIONARI  
GENERALI ACCISARVM INSPECTORI ATQUE IUSTITIE  
IN PRAEFECTVRIS HEBVÆGENSI ET BVRGENSI  
ADMINISTRANDAE PRAEFECTO

PATRONO ET COGNATO SVO  
PIO CVLTV OBSERVANDO

HOC SPECIMEN QVALIFICAVIT ACADEMICVM  
D. D. D.

A V C T O R





I.

**N**ulla est disciplina, inquit LEYSERVS in *Medit. ad Pand. Spec.* 468. m. 1. nulla ars, quae erroribus popularibus non infestetur. Populares scilicet errores, pergit celeberrimus auctor, appello eos, quibus non soli de vulgo homines decipiuntur, sed qui vniuersali quodam contagio tantum non omnes infecerunt, atque ad illos etiam, qui doctiores et sapientiores videntur, peruaferunt. Regnant istiusmodi errores in theologia, regnant in medicina, regnant in historia, regnant in literatura, regnant in philosophia. Nec iurisprudentia nostra intacta mansit. Mirum autem non est, errores populares, in quos etiam viri doctiores inciderunt, eo latius serpere, quo maior est eorum auctoritas, qui hanc sententiam vel primum proposuerunt, vel eandem sua auctoritate stabiliuerunt. Cum igitur plerique olim in Saxonia Iureconfulti, auctoritate HARTMANNI PISTORIS in *Quaest. P. I. Qu. IV. n. 28.* moti, docerent, successores feudales, ad dotalitium viduae constituendum non teneri, si vna cum dote, aequalem summam, donationis propter nuptias nomine, viduae vasalli reddere vellent, haec ipsa sententia, licet legibus Saxonice parum conueniret, ab omnibus fere probata est, et nisi me omnia fallunt, ad populares errores referri potest. Secuti sunt eandem DAN. MOLLERVS ad *Const. P. II. Const. XLIV.* BERLICHIVS in *Conclus. practicab. P. II. Conclus. LII. n. II.* CARPZOVIUS in *Def. for. P. II. Const. XLIV, Def. 7.*

STRUVIUS in *Syntagm. Iur. Feud. C. XIV. §. 15.* HORNIVS in *Iurisprud. Feud. C. XXI. §. 1.* SIGELIVS in *Princ. Iur. Feud. C. X. §. 21.* et *Illustr. SCHOTTIVS in Inst. Iur. Sax. L. II. S. IV. C. II. §. 11. n. 3.* Sed *Illustr. PÜTTMANNVS in Elem. Iur. feud. §. 529.* eandem cum legibus Saxonice haud facile conciliari posse, monuit. Iam in eo sum, vt ex legibus Saxonice, colloquium publicum de re ad Iurisprudentiam pertinente, instituam, indeque ab hac re non alienum videtur, si de hac ipsa quaestione, an successores feudales, se ab onere dotalitium constituendi, inuita vidua liberare possint, plura disseruero, et in rationes, quibus innititur praeceptorum interpretum opinio, pro ingenii mei imbecillitate inquisiuero. Ipsius quidem argumenti grauitas, et summorum virorum, qui PISTORIS sententiam sequuntur, auctoritas, me ab hoc instituto reuocare posset, sed cum in magnis et voluisse sufficiat, veniam me a peritioribus impetraturum spero, si euentus voluntati non ubique obtemperauerit.

## II.

Vt vero constet, de quo disputetur, ab initio statim moneo, mihi neque esse sermonem de dotalitio, seu potius vidualitio, quod et viduae indotatae eum in finem constituitur, vt post mariti mortem vitam commode tolerare possit, neque me verba facturum esse de dotalitio, ex conventionione in allodio vel feudo iam constituto, sed solum de eo locuturum, quod a vasalli defuncti heredibus feudalibus viduae in compensationem dotis, quam intulit, vel marito promisit, et cum vsuris successoribus feudalibus offert, est constituendum, et quod a Doctoribus necessarium appellatur. Nam vtum hoc constitui debeat, an heredes feudales se huic oneri subtrahere possint, quaeritur. Est autem ex mea sententia dotalitium, emolumentum, viduae vasalli, ex feudo competens, in compensationem dotis illatae et in utilitatem feudi versae.

## III.

Iam operae pretium videtur, vt hanc ipsam descriptionem latius explicemus. Emolumentum vocabulo vsus sum, cum illud et vsufructum



ctum in re feudali, et certos annuos redditus, aut censum viduae con-  
 stitutum complectatur. Rarius enim nostris temporibus viduae, ius  
 fructus ex re immobili percipiendi tribuitur, saepius eidem certa per  
 singulos annos praestanda paratae pecuniae quantitas assignatur, vel  
 certi redditus cedunt. Denique ius viduae doariae, non merus est  
 vsusfructus, vt praeclare docuit insigne quondam huius Academiae  
 decus, ERNESTVS MARTIN. CHLADENIVS in *Diff. an viduae do-  
 ariae ius sit merus vsusfructus?* Sed plura iura viduae in dotalitio con-  
 ceduntur, quam vsufructuario in ea re, cuius vsusfructus eidem com-  
 petit. Nam et vidua, cui in ipso feudo dotalitium constitutum est,  
 faciem fundi mutare, et fructus extraordinarios sibi acquirere potest,  
 quae omnia vsufructuario ex legum Romanarum placitis non licent.  
 cf. ENGAV in *Elem. Iur. Germ. L. II. Tit. V. §. 90. seq. et Illust.* PÜTT-  
 MANNVS in *Elem. Iur. Feud. §. 532.* Deinde viduae vasalli in genere  
 dotalitium deberi dixi, in compensationem dotis illatae, nec inter vi-  
 duam vasalli nobilis et ciuici ordinis distinximus, nec inter eam, quae ipsa  
 ex generosa antiquissimorum maiorum imaginibus condecorata stirpe  
 orta est, et eam, quae a patre honesto quidem, sed non nobili origi-  
 nem ducit. Vxor enim mariti dignitatem sequitur, eiusque radiis, vt  
 ait IVSTINIANVS in *Nou. CV. C. 2.* corruscat, indeque vxori ple-  
 beiae, quae viro nobili nupsit, iura viduae nobilis negari non possunt.  
 vid. BARTH in libello *von der Gerade, C. VI. §. 9.* Sed an viduis va-  
 fallorum, auita generis nobilitate haud insignium, dotalitium ex feu-  
 do debeat, quaeftio ambigua videtur. Sunt enim nonnulli, qui  
 easdem ad iura viduae nobilis et ad dotalitium adspirare posse, negant,  
 vt CARPZOVIUS in *Def. for. P. III. Const. XXXVII. Def. 1.* et BAR-  
 THIVS *l. c. §. 20.* Sed rectius, me iudice, alii viduis etiam vasallo-  
 rum ignobilium dotalitii ius vindicant, vt ipse CARPZOVIUS in *Def.  
 for. P. II. Const. XLII. Def. 4.* (quem sibi ipsi in hac re non constare,  
 monuit STRYKIVS in *Diff. de iure viduae nobilis Saxonicae C. I. n. 4.*)  
 LEYSER in *iure Georgico L. II. C. XXXV. n. 8.* HORNIVS in *Iuris-  
 prud. Feud. C. XXI. §. 7. in fine.* WOLFFIVS in *Elem. Iur. Feud. C. XV.  
 §. 8.* Ipsae enim leges in hac re non distinguunt, sed in genere vi-  
 duis vasallorum, ius dotalitium exigendi tribuunt, et eiusdem consti-  
 tutionem ad onera feudalia referunt his verbis: *Wann einer Frauen  
 ein*

ein Leibgedinge aufgerichtet und bestätigt worden. *Constitut. Elect. XLII. P. II. et: Da die Frau bey ihres Mannes Leben gegen ihr Einbringen, welches sie darthun kann, nicht beleibdinget, und nachmals von den Lehnfolgern will beleibdinget seyn, so soll ihr dasselbige folgen. Constit. Elect. XLIV. P. II.* Lubenter quidem fateor, antiquissimis temporibus, quibus solis nobilibus feuda ac beneficia nobilia patebant, solis etiam nobilium viduis ius dotalitium exigendi, competiisse. At cum mutato rerum statu, et ciuici ordinis homines feuda nobilia possidere possint, ratio nulla afferri potest, cur eorum viduae a dotalitii petitione remoueantur. Apud nos certe in Saxonia ignobiles etiam, si rusticos exceperis, feuda militaria et equestria acquirere et possidere posse, manifesti iuris est. v. *Mandat. feud. de A. MDCCLXIV. Tit. VI. §. 3.* De quantitate dotalitii in ipsa definitione consulto nihil monui. Ea ipsa enim vel pactis familiae, vel aliis conuentionibus definitur, vel a consuetudine pendet. In Saxonia nostra quadruplices dotis, siue, vt rectius docet *LVD. MENCKENIVS* in *Diss. de Quantitate dotalitii praecipue in Saxonia*, duplices dotis et donationis propter nuptias vsurae, dotalitii nomine praestari solent, et hanc ipsam consuetudinem *lex feudalis de Anno MDCCLXIV. Tit. VI. §. 3.* verbis: *Auch sind bey Computirung der Lehns-Schulden, wenn darunter Ehestiftungen befindlich, das Ehegeld und das Gegenvermächtniß, wegen derer davon zu entrichtenden doppelten Zinsen, nach zeitheriger Observanz, gedoppelt zu rechnen, confirmauit.* Denique hoc dotalitium in compensationem dotis illatae et in feudi vtilitatem versae constituitur. Necessesse igitur est, vt vidua dotis illationem probet, hac enim probata apud nos praesumitur, versionem in rem mariti factam esse. v. *CARPZOV. in Resp. L. VI. Ref. LVII. et III. SCHOTTIVS in Instit. Iur. Sax. L. II. S. IV. C. II. §. II. et III. PÜTTMANN in Elem. Iur. Feud. §. 533.* Peti autem nequit dotalitium, quippe quod surrogatum dotis est, ex iure communi, si vidua nullam dorem ad maritum adtulerit, vel eandem illatam esse probare non possit. At mitius agunt cum viduis leges Saxonicae. Illae enim viduae licet dorem marito non persoluerit, dummodo eandem promiserit, et deinde heredibus mariti cum vsuris morae offerat, ius dotalitium exigendi, concedunt. Quodsi vero ab initio dos non fuerit promissa, vidua, vasallo defuncto, certam pecuniam dotis nomine offerre, et dota-

dotalitium a feudi successoribus petere nequit. Mihi ipsi exemplum cognitum est, quo quis viduae vasalli defuncti magnam pecuniae summam donare vellet, eo animo, vt vidua hanc summam dotalitii adipiscendi gratia iis, qui ex iure simultaneae inuestiturae ad successionem feudi adspirabant, offerret, et horum conditionem quadruplicatarum scilicet vsurarum praestatione duriolem efficeret. Sed consilium hoc euentu caruit, cum simultaneae inuestiti ad *Decis. Elect. LV. de A. 1661.* prouocantes, se a praestatione dotalitii immunes esse, docerent.

#### IV.

His praemissis, proprius ad eam quaestionem, cuius causa haec dicta sunt, accedamus, et an heredes vasalli se, inuita vidua, a constitutione dotalitii, dotem reddendo, et aequalem summam, donationis propter nuptias nomine addendo, liberare possint, dispiciamus. Electio nimirum viduae, ex legibus Saxonice competitis, an dotalitium nondum constituto, dotem repetere, vtrum, vt successores feudales dotalitium constituent, postulare velit. v. *Constit. Elect. XLIV. P. II.* ipsis autem successoribus feudilibus necessitas imposita est, dotalitium constituendi, si vidua promissam in pactis dotalibus dotem vna cum vsuris morae persoluere velit. v. *Decis. Elect. LV. de A. MDCLXI.* Hae leges satis clare testantur, a viduae arbitrio pendere, vtrum dotalitium exigere, an dotem suam repetere velit, quod in fauorem viduarum, ne iisdem de dote ac bonis suis testandi facultas adimatur, constitutum esse verosimile est, vt iam obseruauit PHILIPPI ad *Dec. LV. C. I.* Hoc ius eligendi viduae concessum interuertunt illi, qui praecunte HARTMANNO PISTORIS in *Qu. P. I. Qu. IV.* docent, successores feudales ab onere praestandi dotalitii liberari, si viduae cum dote tantundem, donationis propter nuptias nomine reddere velint. Hanc autem sententiam tuentur, MOLLERVS ad *Const. P. II. Const. XLIV. n. 14.* BERLICHIVS in *Concl. pract. P. II. Concl. LII. n. 11.* CARPZOVIUS in *Def. for. P. II. Const. XLIV. Def. 7.* STRVIVS in *Syntag. Iur. feud. C. XVI. §. 15.* STRYCKIUS in *Diff. de iure viduae*

viduae nobilis Saxonicae C. I. n. 19 et 69. HORNIVS in *Iurispr. feud. C. XXI. §. 7.* SIGELIVS in *Princ. Iur. feud. C. X. §. 21.* et *Illustr. SCHOTIVS* in *Inst. Iur. Sax. L. II. S. IV. C. II. §. 11. n. 3.* Cum autem hi omnes fere ad PISTORIS et CARPZOVII auctoritatem prouocent, nec noua argumenta afferant; iam de iis rationibus dispiciamus, quibus PISTORIS sententiam suam firmare conatur.

## V.

Primum argumentum, quo utitur PISTORIS l. c. ad sententiam suam stabiliendam, petitur est ex *Auth. Aequalitas C. de pactis conuentis*, cuius verba haec sunt: *Aequalitas omnimodo seruanda est in dote et in donatione antenuptiali: non tantum in lucris exinde prouenturis, sed etiam in praestatione et constitutione viriusque. Augmentum quoque vel profusum non fiat, vel ab utraque parte celebretur, pari scilicet quantitate: ne vel in eo modo subuertatur aequalitas.* Praecipit scilicet IUSTINIANVS, vt dos et donatio propter nuptias sit aequalis, et vt lucra exinde prouenientia aequalia sint. Cum igitur praestationes a successoribus feudi viduae, praesertim iuuenili adhuc aetate florenti, loco dotalitii ex feudo faciendae, facile dotem illatam, donationemque propter nuptias superare possent, PISTORIS putat, pactum iniquum esse, et legibus contrarium, in quo donatio propter nuptias dotem superat, viduamque nil petere posse, si heredes feudales dotem, addita aequali quantitate antiphernorum nomine, reddere velint, idque ipsum conuenire *cit. Auth.* quae depromta est ex *Nou. 97.* Sed quis non videt ineptam esse hanc iuris Romani ad dotalitium, quod germanicae originis est, applicationem. Dotem enim ex iure Romano vxor marito afferebat, et soluto matrimonio repetebat, donatioque propter nuptias potissimum in dotis securitatem constituebatur. Dotalitium a viro mulieri constituitur, et illud ipsum apud heredes mariti plerumque remanet, vt vidua eodem tantum ad dies vitae vtatur fruatur, et hoc ipsum dotalitium, nisi aliud conuenerit, dotem ab vxore marito illatam et donationem propter nuptias absorbet. v. *Const. Ekt. XLII. P. II.* et WERNHER in *Obseruat. for. P. VII. Obs. 51.* denique in multis

tis aliis causis mores Germanorum in doctrina de dote et donatione propter nuptias a iure Rom. secedunt, vt pluribus docuere PETR. DE LVDEWIG in *Diss. de differentiis iuris Roman. et Germ. in dote et donatione propter nuptias.* Idem in *Diss. de differentiis iuris Rom. et Germ. de dote mariti.* CHR. GODOFR. HOFFMANN in *Diss. de differentiis Iuris Rom. et Germ. in doctrina de donationibus propter nuptias.* cfr. LEYSERI *ius geographicum L. I. Cap. XXXV.* Sunt praeterea multi, qui hanc ipsam *Authent. Aequalitas C. de Pactis conuentis* in Germania non receptam esse testantur, et donationem propter nuptias dote longe ampliolem constitui recte posse, docent. V. GAILIVS in *Obs. pract. L. II. Obs. 78.* LVD. MENCKEN in *Diss. de Quantitate dotalitii §. 9.* LEYSER in *Med. ad Pand. Spec. CCCV. Med. 5.* Risum igitur fere mouebit hoc PISTORIS argumentum ex aequalitate dotis et donationis propter nuptias desumptum, praesertim si illud cum monitis HOMMELII contuleris, qui false exagitat eos, qui iura Rom. vbique ad feudorum consuetudines inepte applicant. Haec autem sunt HOMMELII verba in *akademischen Reden über Masstovii Buch de iure feudorum in Proleg. §. 6. n. 1.* *Allein lächerlich wäre es, wenn man des Römischen Volks praecepta ciuilia mit Haaren in die feodalschen Rechte ziehen wollte, wie es denn gräßlich anzusehen, daß in den alten Lehnrechtsglossen der liebe Columbinus unzähligemal bald Papinianen, bald Ulpianen, bald Paulum, bald Menandern, bald andern in seinen Nöthen zu Hülfe ruft, und die spitzfindigsten Stellen aus Novel- len und Pandecten Fuderweise herbeyschleppt. Was von Römischen equitibus gesagt wird, läßt sich auf unsere Ritter so wenig, als der Titel in Pandecten de officio consulum auf die Burgemeister heutiger Municipal-Städte anwenden, und die von der römischen Knechtschaft auf ieszige Leibeigenschaft schließen, sind bereits von unsern Großvätern ausgekickert worden.*

## VI.

Iniquum porro censet PISTORIS, et qui eum sequuntur, vi-  
duam cum damno heredum feudalium locupletiolem fieri. Illud  
autem contingere dicunt, si vidua iuuenis adhuc dotalitium accipit,  
cuius redditibus per complures annos gaudere possit, hos enim redi-  
tus,



tus, licet duplices tantum dotis vsuræ soluantur, quas in dotalitio necessario locum habere censet LVD. MENCKEN in *Diff. de dotalitii quantitate* §. 9. quamuis ex communi Doctorum sententia quadruplices præsentur, dotis sortem mox æquatueros et superatueros. Miror PISTOREM non prouocare ad *L. 2. C. de rescind. vend.* atque ex eius benigna interpretatione colligere, successores feudi ad dotalitium præstandum non teneri, si vltra dimidium laedantur, denique eundem viduam vsurariæ prauitatis non accusare. At cum illud, quod legibus moribusque populi hoc iure vtentis conuenit, iniquum esse non videatur, nec negotium, quod aleam continet ex *L. 2. C. de rescind. vend.* rescindi possit, denique cuilibet liceat, ob incertum lucri et damni euentum, pinguiora sibi, quam alias iustum est, commoda stipulari, hoc ipsum ex cerebrina æquitate defuntum argumentum, ad ipsius causæ decisionem non sufficere, est sat manifestum. Dotalitium enim ad contractum vitalitium accedere, remque incerti euentus esse, inter omnes constat. Nam dotalitii redditibus vidua, donec viuut, vtitur, sed iidem fructus, mortua vidua, successoribus feudalibus cedunt. Inde ipsa vidua, siue potius heredes eius, sæpius lucri vice damnum sentiunt, si vidua ipsa mox diem suum obeat, quod cum hominum vita incerta sit, etiam in vidua florentissimæ ætatis accidere potest. Tunc enim dos, quam vxor marito adtulit, eius heredibus non restituitur, sed eandem mariti heredes lucrantur, qui ipsi sæpius cum magno eorum, quibus viduæ hereditas defertur, damno, ex hac re locupletiores fiunt. Ex quo satis patet, dotalitii constitutionem, nihil iniquitatis continere.

## VII.

Tandem PISTORIS, vt eam, quam protulit, sententiam confirmet, ad obseruantiam dicasteriorum prouocat et Responsum Collegii Iuridici Lipsiensis adfert, vt probet, ea quæ de dotalitio dixit, iam olim obseruata esse. Verba autem huius responsi, quæ ad hanc rem pertinent, hæc sunt: *Wo nun die Frau mit Gelde aus dem Guthe soll gezeigt werden, so müßte ihr solche Summa dotis et donationis propter nuptias erblich*

erblich folgen, oder auf einen Wiederkauf das Hundert mit Fünfen verzinset werden, damit zu thun und zu lassen. Dieweil aber das Ehegeld und dos sammt der Donation propter nuptias, nach dem Brauch, wie oben gemeldet, in Lehn bleibet, und die Wittve allein ihr Leibguth und Leibzinse davon hat, so wird ihr auch solche Summe als Leibzinse billig jedes Hundert mit zehen Gulden, jährlich auf ihr Lebenslang verleibdinget und verzinset. Sed facili negotio hoc argumentum ex auctoritate ductum, conuelli potest. Nam et improbum est, monente LEYSERO in *Medit. ad Pand. Sp. IX. m. 5.* obseruantiam stabilire, quando lex aduersatur, et illud Responsum, ipso PISTORE teste, A. MDL. exaratum est, eo tempore, quo Constitutiones AVGVSTI, quae viduae ius eligendi tribuunt, nondum prodierant, indeque legis recentioris auctoritatem nullo modo infringere potest. Sanciuit enim AVGVSTVS A. MDLXXII. in *Const. Elect. XLIV. P. II.* vt, si vidua, defuncto marito, dotalitium sibi constitui noller, sed dotem repeteret, successores autem feudi dotalitium constituere, quam dotem reddere mallent, electio non illis, sed Viduae relinqueretur.

### VIII.

Cum igitur leuiora sint argumenta, quibus sententia PISTORIS, qui successores feudales se, inuita vidua, ab dotalitii constitutione liberare posse docet, innituntur, et lex disertis verbis, viduae electionem tribuat, hoc ius viduae inuitae adimi nullo modo potest. Verba legis tam clara sunt, vt nulla interpretatione egeant, et in hunc modum concepta: *Da die Frau bey ihres Mannes Leben gegen ihr Einbringen, welches sie darthun kann, nit beleibdinget, und nachmals von den Lehnsfolgern will beleibdinget seyn, so soll ihr dasselbige folgen, wie dann hierinnen einträchtiglich gesprochen wird, wann es sich aber begeben, daß die Frau von ihrem Manne gegen ihr Einbringen nit beleibdinget, und sie will nach seinem Absterben kein Leibgedinge haben, sondern fordert ihr eingebracht Ehegeld, die Lehnsfolger wollen sie beleibdingen, und das Ehegeld nit geben; in diesem Fall haben unsere Rätthe, Facultäten und Schöppenstühle beschloffen, es sollte in der Frauen Willkühr stehen, ihr eingebracht Ehegeld wieder zu fordern, oder aber*

das Leibgedinge anzunehmen: *Welches wir uns auch gefallen lassen, und soll demnach also gesprochen werden.* vide *Const. Elect. XLIV. P. II.* Denique nec PISTORIS in *Qu. P. I. Qu. IV. n. 19.* neque CARPZOVIVS in *Def. P. II. Const. XLIV. Def. 2.* negant, hoc ius electionis viduae competere, immo hic disertis verbis scribit, hanc electionem agnatos siue feudi successores haudquaquam interuere ac impedire posse. Negari quidem non potest, debitori plerumque ius eligendi concedi, sed quamuis hoc verum sit, ipsa tamen haec regula varias patitur exceptiones, si lex ipsa creditori electionem permittat, vel in huius gratiam alternatiua conditio adiecta fuerit. vid. HOMMELIVS in *Rhapf. Obs. 515.* Quoties autem lex ipsa alicui ius tribuit, toties illud ei inuito adimi nullo potest. Indultum enim a iure beneficium non est alicui auferendum *C. 17. de Reg. Iur. in VI<sup>to</sup>.* Ius vero electionis viduae tributum, eidem auferetur, si successores feudales eandem a dotalitii petitione, dotem reddendo, et aequalem summam, donationis propter nuptias nomine, addendo, remouere possent. Aiunt quidem MOLLERVS ad *Const. XLIV. P. II. n. 14.* et STRYCKIVS in *Diss. de Iure viduae nobilis Saxonicae C. I. n. 69.* hanc ipsam, quam excitauimus constitutionem de eo tantum casu loqui, quo dos marito numerata ab vxore illata est, ideoque ad aliam causam, quando scilicet dos promissa, sed nondum persoluta sit, et post mariti obitum demum offeratur, non esse extendendam. At cum *Decisio Elect. LV.* agnatos et successores feudales ad dotalitii constitutionem obstringat, si vidua dotem promissam re vera vna cum vsuris morae persoluat et dotalitium petat, nec hanc ipsam rem, an dotalitium constitui debeat, arbitrio successorum feudaliu relinquat, manifestum est, viduae, quae dotem promissam soluit, cum ea aequalia iura habere, quae viuo marito dotem attulit. Nouumque non est, vt priores leges ad posteriores trahantur. Verba autem huius decisionis haec sunt: *Wann beygebracht und erwiesen wird, daß eine Ehegiftung ausgerichtet, und auf Seiten des Eheweibes, etwas an Ehegeld darin versprochen, und wenn sie dargegen bey des Mannes Leben nicht verleibdinget, und nachmalts gegen würcklicher Auszahlung der versprochenen Mitgift, neben dem Interesse morae, von den Lehnsfolgern, das Leibgedinge suchet. Auf solche Fälle hat es keinen Zweifel, daß sie damit gehöret, und mit demselben ver-*



versehen werden müßte, satisque docent, ius exigendi dotalitium viduae competere, idque illi inuitae ab heredibus feudalibus extorqueri non posse. Mirari igitur satis non possum PISTORIS et CARPZOVII auctoritatem apud summos viros plus valuisset, quam analogiam legis Saxonicae sc. *Constit. Elect. XLIV. P. II.* quae disertis verbis viduae ius electionis tribuit.

## IX.

Sed ea, quae haecenus a me disputata sunt, non ad omnes omnino prouincias pertinent, sed ad eas tantum, quae Iure Saxonico Electorali vtuntur. Recte enim monet *III. BOEHMERVS in Princ. Jur. feud. §. 3 28.* ex iure feudali communi Germanico, dotalitium tantum deberi, ob dotem in feudum illatam et versam, nec illud, dote licet promissa, sed viuo marito non illata, peti posse. Ex quo iam sequitur, dote haud illata, successores ad constituendum dotalitium adigi non posse, praesertim cum ex Iure feudali Longobardico post mortem viri ad mulierem nihil pertineat. *II. Feud. II.* Multum tamen in hac ipsa re dandum est obseruantiae. Nam et pluribus aequum videtur, vt et viduae indotatae, ne misera fame pereat, vidualitium praestetur. *v. LEYSERVM in Medit. ad Pand. Sp. CCCXXV. m. 7.* At cum regula debitori electionem tribuat, *HOMMELIVS in Rhapf. Obs. 515.* in iis prouinciis, in quibus leges non disertis verbis viduae electionem tribuunt, ab arbitrio heredum feudalium pendebit, an viduae dotalitium constituere, an dotem eidem reddere, et si antiphenorum ratio ex moribus prouinciae in constituendo dotalitio habeatur, aequalem summam, donationis propter nuptias nomine eidem soluere velint. Inde hoc iure electionis in prouinciis Anhaltinis successores feudales vtuntur. *v. Ord. Prou. Anh. Tit. XVI. Wie dann kein Leibgeding auf Lehngütern, ohne des Lehnherrn und der Mitbelehnten Consens*



Consens kräftig seyn soll. Da aber gleichwohl eine Wittve ihren dotem würcklich eingebracht haette, so soll den Mitbelehnten, welche nicht darcin gewilliget, wann das Lehen an sie kommet, frey stehen, ob sie die eingebrachte Ehesteuer, und noch soviel darzu herausgeben, oder der Wittib ein Leibgeding auf die Zeit ihres Lebens, entweder wie es der Verstorbene verschrieben, verordnen, oder nach Landesgebrauch als hundert Thaler auf tausend Thaler (mit eingeschlossen das Gegenvermaechtniß, so noch eins so viel ist, als die dos gewesen) zum Leibgedinge aus dem Lehn jährlich geben wollen: Und wenn sie dessen die Zeit ihres Lebens genossen, so ist damit das Einbringen und Gegenvermaechtniß gaenzlich erloschen: welches auch in dem Fall statt haben soll, wann bey Lebzeiten des Lehmannes nichts würcklich eingebracht, die Wittib aber sich zu Einbringung ihrer Ehesteuer, mit dem Interesse, von Zeit ihres Mannes Absterben an zu rechnen, binnen Jahres Frist nochmals sich erbiehen thut.

Apud nos igitur in Saxonia, vidua, a cuius arbitrio, nisi aliud in pactis dotalibus conuenerit, pendet, an dotem repetere, vtrum dotalitium sibi constitui, vtrum denique portionem statutariam accipere velit, id eliget, quod sibi consultius esse videbitur. Quid autem in hac ipsa Electione viduae consultum sit, LEYSERVS docet in *Medit. ad Pand. Spec. CCCXVII. Med. 9. et 10.*



Wittenberg, Diss., 7791

ULB Halle

002 109 840




3

f

sb.





B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

R T A T I O  
 ESQVIRITVR  
 CCESSORES FEVDALES  
 A PRAESTATIONE  
 ERARE POSSINT  
 T  
 A M  
 S I D E  
 ERNSDORFFIO  
 E, INSTIT. PROF. PVBL. ORD.  
 SCABINATVS ATQVE  
 RID. ASSESSORE  
 R. C I O I O C C X C I.  
 Q. S.  
 N D E T  
 OR  
 ARPVS CRANOLD  
 INA - SAXO.  
 ERGAE  
 RISTIANI DÜRRII.

17

1791

15